



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Andreæ Vallensis Vvlgo Del Vavlx Andanensis, I. V. D. Et
In Alma Academia Lovaniensi SS. Canonum Professoris
Ordinarii, Paratitla Ivris Canonici Sive Decretalivm D.
Gregorii Papæ IX. Svmmaria Ac ...**

Delvaux, André

Coloniæ Agrippinæ, 1686

3. Intra quod tempus fieri debeat.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62177](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62177)

e. in 4. compilat. Et huiusmodi electionem, quæ nulla est, celebrare præsumentes à beneficijs per triennium suspenduntur, privatiq; sunt potestate eligendi.

§. III.

Intra quod tempus fieri debeat Electio.

1. Intra tres menses faciendæ Electio.
2. Aliàs ad proximum superiorem devolvitur jus eligendi.
3. Ab exemptis ad summum Pontificem.

IN Ecclesijs Cathedralibus sive Episcopali-
bus ac Regularibus, id est Collegiatis quibuscunq; fieri electio debet intra tres menses, nisi iustum subsit impedimentum, quod tollere electores non possunt, *e. Ne pro defectu 41. h. tit. can. Postquam 11. Distinct. 50. can. Obvolutibus distinct. 63.* Et incipiunt computari dies, non à die vacationis, sed à die, quâ Canonici, vel alij de Collegio innotuerit vacatio Ecclesiæ, *d. e. Ne pro defectu, juncto Innoc. & alijs h. t.*

2. Canonici verò, vel alij, intra hoc tempus electionem negligentibus, jus eligendi devolvitur ad proximum superiorem, *d. e. Ne pro defectu*: licet olim devolveretur ad Romanum Pontificem, *e. Dilectus, inf. De concess. præbenda*: qui superior tenetur intra tres alios menses Prælarum eligere ex ipsa Ecclesia vacante, si in ea dignum inveniat, alioqui ex alia, *d. e. Ne pro defectu*. Eoque negligente devolvitur electio ad alium superiorem, & sic gradatim usque ad Papam, *d. e. Ne pro defectu*.

3. Ad quem statim jus eligendi devolvitur, quando Canonici, negligentibus electionem, ab Archiepiscopali jurisdictione sunt exempti, ac summo Pontifici immediate subiecti, *e. Licet inf. De supplenda neglig. Prælatorum*. Idem obri-
ner in Præfecturis, atq; alijs dignitatibus regularibus exemptis, per electionem dari consuetis, *Clement. 1. De supplenda neglig. Prælat. c. Cum singula in fine De præbend. in 6.* Potest tamen consuetudine induci, ut una Ecclesia de gremio alterius teneatur sibi Prælatum eligere, *e. Cum dilectus 32 h. t.* Quando verò non omnes, penes quos electio est sunt negligentes, sed major pars Capituli negligit electionem, vel non vult eligere aut renuntiat electioni, vel quando qui alias e-

ligendi ius habent, sunt absentes in loco, unde vocari eos oportet, tunc ius eligendi devolvitur ad minorem partem, illosve, qui præsentibus & habiles fuerint ad eligendum, quia tales non reputantur de Capitulo, iurisque fictione totum Capitulum representatur in minore parte, vel etiam uno, Abbas *in c. Congregatio 53. n. 2. & 4. h. t. & in c. Gratum n. 5. 8. & 9. sup. De postulat. Prælat.*

§. IV

De forma & modo electionis.

1. Forma Electionis triplex.
2. Electio per scrutinium.
3. Qua dicatur major & sanior pars.
4. Electio per compromissum.
5. Per quasi inspirationem divinam.
6. An hæc forma etiam in Prælatu Episcopo inferioribus locum habeat.

Formam Electionis triplicem tradit Innocentius in *c. Quia propter 4. 2. h. t.* nempe per scrutinium, per compromissum, & quasi per inspirationem divinam: & aliter facta electio non valet, & contra facientes privandi sunt eâ vice potestate eligendi, *d. cap. Quia propter, c. Cummana 50. in fine & ibi Glos. h. t.*

2. Per scrutinium fit electio, quando vocatis seu requisitis ac præsentibus omnibus, qui debent, volunt & possunt commodè interesse, tres de Collegio eligentium ad hoc collegialiter congregato, fide digni eliguntur, qui præsentium vota secretò & sigillatim diligenter excipiant, eaque certa, pura, libera nullaque adjunctâ conditione, vel alternatione *e. 2. eod. in 6. d. e. Quia propter & c. Cum terra 14. h. t.* deinde votis in scripturam redactis mox scrutinium publicent in communi seu in præsentia Capituli: ut ex suffragiorum collatione unus habeatur pro legitime & Canonicè electo, in quem omnes, vel major & sanior pars consenserint, *d. e. Quia propter & alijs h. t.* Nam electio per minorem partem Capituli facta non tenet, neque ratificari per subsequentem consensum potest *e. Auditus 29. h. t.* Publicatione autem factâ nullius suffragij mutatio admittitur, *e. Publicato 28. h. t.*

3. Dixi major & sanior pars quia non sufficit major, nisi etiam sit sanior, *d. e. Quia propter Major*